



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ad Iesuitarvm Assertionēs, Ex Epistola Priori Divi Pavli ad
Timotheum, in Schola Dilingana disputatas, quibus totum
Papatum stabilire conati sunt, pia responsio**

**Bidembach, Wilhelm
Osiander, Lucas**

Tvbingæ

VD16 B 5358

Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36892

Præfatio.

ÆDITÆ SVNT A IESVITIS,
nouo hypocritarum genere, assertio-
nes in noua Diligensium Academia ad di-
sputandum propositæ. Quas ut ex totius anni
prelectionibus selegerunt, ita totius doctri-
næ Pontificiæ (quam Paulus hypocriticam ^{1. Tim. 4.}
& demoniacā appellat) summa capita paucis
pagellis voluere complecti. Multos autem
bonos viros scholasticæ iuuentutis miseret,
quæ sub istis Magistris ita proficit, vt quod in-
tegro anno didicit, id per totam vitam ei sit
dediscendum: atq; sic necessariò temporis
sit iactura faciendâ, nisi animæ velint & sa-
lutis facere. Miserum est, semper discntem
nunquam peruenire ad cognitionem verita-
tis: sed multò miserius & miserandū magis,
semper discntē indies magis magisq; à veri-
tate aberrare, et mendacijs inuolui, et in vor-
ticem impietatis, ac, qui hanc subsequitur,
æterni interitus gurgitem abripi: quanquam
iusto Dei iudicio fit, vt per omnem deceptio-
nem iniustitiæ pereant, qui dilectionem ve-

ritatis nolunt recipere in hoc vt salui fiant. Nam propterea mittit illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui nō crediderunt veritati, sed adprobauerunt iniustitiam. Veruntamen cum mihi quidem dubium non sit, aliquos qui in scholis Dilinganis versantur adolescentes, nō tam malitia voluntatis, quàm hallucinatione mētis, hoc est, delectu magis quàm affectu errare, & Iesuitarum dogmatibus propter iudicij imbecillitatem, & *de quibus* assentiri, non malè locatam operam crediderim, si quis vel vnā animulam ab exitiali errore liberet, ipsiq; orci faucibus, ut Pastor auriculam

Iac. 5. ouis è rictu Leonis, eripiat. Huc accedit, quòd ipsa D. Pauli ad Timotheum Epistola prior, è qua Theses suas emendicarunt Iesuitæ, hoc à nobis officium exigere videtur: vt ipsam ab impiorum hominum iniuria, à falsariorum corruptelis, à prædonum direptionibus & sacrilegijs defendamus: imò verò quia ipsa se suo robore suaq; simplici & constanti veritate satis fortiter defendit, tantum irritos conatus hostiū fuisse indicemus,

&

Amos. 3.

& fulgorem veritatis, depulsa errorum caligine, clarius emicantem ac longè lateq; resplendentem, omnibus qui non spontè cæcutiunt, monstremus. Vide obsecro Christiane Lector, quàm multa indignè & sceleratè in hanc sanctissimam electi vasis Epistolam commiserint Iesuite.

Primum, vbi argumentum Epistolæ recitant, ne minimam quidem Christi & beneficiorum eius mentionem faciunt: cum tamen in primo statim capite luculento Legis & Euangelij discrimine exposito, Christi gratia ita commendetur, vt vix alibi, excellentius: & ex hoc fonte reliqua omnia huius Epistolæ monita & præcepta promanant: ne quis, ut Iesuitæ, hanc Epistolam tantùm pro libro Cæremoniarum & Pontificali Ecclesiæ habeat.

Deinde, cum è certis quibusdam huius Epistolæ Pericopis Theses corrogant, totam Epistolam, qua vix alia (nam eam quæ ad Romanos scripta est, semper excipio) decentiori ordine & aptiore Methodo conscripta est, ità discerpunt & lacerant, ut in fabulis Mæ-
nades

nades, Orphei corpus non crudelius laniasse,
& in historijs filium Nahas Ammonitarum
regem Legatos Dauidis non foedius defor-
misse putem, quàm hæc Epistola à Iesuitis
laniata et deformata cõspicitur. Nunc enim
è medio continuæ orationis corpore mem-
brum, vt ineptus sutor è medio corio Iorum,
execant: nunc quæ indiuulsè inter se cohære-
re debebant, diuellunt: nunc quæ diuulsere,
frustilatim concidunt & comminuunt: ali-
bi, quæ separari distinguiq; debebant, com-
miscent, vt mali coqui iura confundunt.

Iam cum ad excerptarum *περίληψη* interpre-
tatione ventum est, Deus bone, quàm om-
nia, aut certè plæraq; cum à seipsis, tum à ve-
ritate dissentunt? Vix quicq; ad veritatem
sincerè, aut ad rem de qua agitur, appositè &
consentaneè dicitur. Plerunq; pro vna vera
& germana sententia duas falsas aut à propo-
sito alienas adferunt: cum res bene cadit, v-
nam veram, alteram falsam, vnam aptam,
alteram à toto scopo aberrantem adducunt,
aut crinibus attrahunt, hoc est, per vim in-
trudunt. Hinc toties in istis malè confutis
thesibus

thesibus has disiunctiuas & conditionales
 particulas inuenies. Vel sic (inquiunt) vel ut a-
 lij: vel hoc intelligitur, vel illud: si sic acci-
 piamus, si ita intelligatur: siue hoc modo,
 siue quòd magis est consentaneum. Et has
 permissiuas ac dubitatiuas loquutiones: In-
 telligi potest (inquiunt) in hunc sensum, po-
 test & sic accipi: hunc sensum pleriq; Patres
 adprobant, vel dicere cum alijs possumus:
 si hanc lectionem sequamur, si verò com-
 muniò lectio retineatur, &c. Et illud Ari-
 stotelicum, in philosophia quidem non im-
 probatum, sed in Theologia vituperabile
 videtur, hoc præcipere, illud probabilius
 videtur, &c. An non pie Lector, hæc satis ma-
 gno documento sunt, istos homines spiritu
 vertiginis rotari & circummagi? & impleri in
 eis maledictionem legis, quæ per Mosen im-
 pijs denunciatur: Percutiet (inquit) te Domi-
 nus amentia & cæcitate ac furore mentis, ut
 palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus
 in tenebris, & non dirigas vias tuas? Ita est
 profectò, quorum animi nulla fidei certitu-
 dine seu *πληροφωρίᾳ* instructi & muniti sunt, eo-
 rum

Deut. 28,

B rum

rum quoq; interpretationes scripturarum, solida, certa, constantes & concinna esse nequeunt, sed ambigua, vaga, instabiles & dissentanea vbiq; fluctuant, vacillant, dissonant, & quod ille de oraculis Delphicis dicebant *καυπορισιλας*, hoc est, in vtrinq; partem claudicant: sicq; lectorem multò incertiorum dimittunt quàm acceperunt. Vsq; adeò labra lactucis conueniunt, vt in schola dubitationis, & doctrina, & fides, & res, & verba, & sensa, & deniq; omnia sint dubia, perplexa & ad desperationem accommodata.

Porro nec illud praterendum est artificium, apud Papistas quidem non nouum, sed à Iesuitis tamè callidius vsurpatum, quòd ad margines suarum Positionum, non scripturarum modò testimonia, sed sexcentas etiam Patrum auctoritates allinunt, vt imperito Lectori fucum faciant, qui à partibus ipsorum cum totius sacrae scripturae coelestia oracula, tum venerandæ vetustatis suffragia stare opinetur. Et de sacrarum quidè literarum testimonijs suo loco, vbi opus erit, sigillatim à nobis dicetur. De scriptorum autem Ecclesia.

Ecclesiasticorum, quos propter antiquitatē Patres vocant, allegationibus, hoc iam generatim praefabimur.

Primum Iesuitæ hoc sibi permiserunt, ut etiam in his locis, in quibus nulla est inter nos & ipsos controuersia, ingentē aceruum allegationum ex Patribus congererent: quod nobis inuidiam facerent, quasi ea etiam in dubium reuocaremus, quæ nullus sanæ mentis homo negaret. Ut vnum è multis proferamus exemplum: cūm docent Christi Ecclesiam ab ipso Christo auctoritatem habere excommunicandi publicè sceleratos, si contumaciā sceleribus addant, duodecim Patres & quatuor Concilia citant. Quasi verò res operosa p̄batione indigeret, aut quis inter nostros vnq̄; extitisset, qui hoc negasset: sed hæc numerum complent, ne quid in charta vacuum remaneat.

Deinde multa loca citant è Patribus, quæ, si quis penitus introspiciat, ad rem prorsus nihil faciunt, ad quam confirmandam adhibentur: nec magis ad institutum quadrant, quàm baculus ad angulum. Ut cūm mortuo-

rum sanctorum intercessionem & patrocinium adstruere volunt, sex Patres citant, qui Christum propterea vnum Mediatorem Dei & hominum dici scribunt, quod solus ipse nos omnes redemerit. Quasi verò necessario consequatur, cum Christus solus nos redemerit, sanctos, qui nos non redemerint, pro nobis intercedere? Quid, quod ibidem octuagesimam tertiam haeresin ex Epiphanio citant, cum in vniuersum octoginta tantum haereses descripserit?

Thef. 2. cap. 2.

Sed esto, rectè omnia, & conuenienter & bona fide allegarint ex Patribus, (etsi contrarium infra aliquoties demonstrabimus)

August. ad Hieronym. Epist. 19.

nos tamen cum Augustino solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici adpellantur, didicimus hunc timorem, honoremq; deferre, vt nullum eorum authorem scribendo errasse firmissimè credamus. At si in eis offenderimus literis, quod videatur contrariū veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel nos minimè intellexisse non ambigamus. Alios autem ita legimus

mus

mus, vt quantalibet sanctitate doctrinaq;
præpolleant, non ideo verum putemus, quia
ipsi ita senserint, sed quia nobis vel per illos
authores Canonicos, vel probabili ratione,
quòd à vero non abhorreat, persuadere po-
tuerūt. Neq; enim (vt idē alibi ait) quorumli-
bet disputationes, quamuis catholicorum &
laudatorum hominum, velut scripturas Ca-
nonicas habere debemus, vt nobis non lice-
at salua honorificentia, quæ illis debetur ho-
minibus, aliquid in eorum scriptis improba-
re atq; respuere, si fortè inuenerimus quòd
aliter senserint, quàm veritas habet diuino
adiutorio vel ab alijs intellecta, vel à nobis.
Talem ille se esse profitetur in scriptis alio-
rum, tales vult esse intellectores suorū. Quid
est igitur, cur plus Augustino tribuamus,
quàm ipse sibi tribui velit? num sic de autho-
ritate sanctorum virorum detrahimus? si
homines fuisse dicamus, qui vt falli, ita alios
quoq; fallere potuerint? num propterea ma-
gna Ecclesiæ lumina fuisse Hieronymum,
Ambrosium, Chrysostomum, vel alios eius
notæ scriptores, inficiamur, quia eos quædā

Idem ad Fortu-
nat. Epist. 198.

B iij vel

Distinguemus

vel parùm disertè scripsisse, vel non satis constanter sensisse existemus? At hi ipsi sese non iudicarunt ^{ἀναμαρτύροις} & vt iudicassent, sese ipsi decepissent. Sit hoc ergo extra controuersiam: Primùm solis Biblijs tantùm esse tribuendum, vt ea sola omnis erroris expertia esse credamus. Deinde alijs Scriptoribus, quantumuis doctrina & vitæ sanctitate claris, tantum esse assentiendum, quantũ illi sacrarum literarum testimonijs probare queant. Prophetæ enim, Apostoli & Euangelistæ, cùm nõ à se dicant aut scribant, sed spiritus cœlestis instinctu, ab omni errore vacui atq; integri sunt: reliqui scriptores, cùm plurima quidẽ è spiritu, quædam tamẽ etiam è carnis sensu & ingenio scribant, nonnunq; exorbitant. Illorum diuinæ visiones, sanctificationes, ab vtero vocationes, in Euangelion segregationes, nominatim in sanctis scripturis leguntur, autoritateq; testimonij diuini cõfirmantur: horum vocationes tam illustria testimonia nõ habent. Itaq; speramus nobis apud piũ lectorem non fore fraudi, si nõ ad singula singulorum Patrum dicta singulatim responderimus.

sponderimus. Facile enim nos Augustini exemplū tuebitur, qui in cōtrouersia, quā cum Hieronymo de Petri simulatione habuit, cū authoritatibus clarorum virorum premeretur, nec ipse tot authoritates opponere posset, ad Paulum tandē confugit, quē sibi instar omnium, imò supra omnes esse statuit. Quid multis? scripturis vtamur tanq̃; Iudicibus: Patribus tanq̃; Consiliarijs: qui si rectē consulant, cum gratitudine ijs vtamur: sin minus rectē, sine cōtumelia nobis à sentētia eorū discedere liceat, et id iter ingredi, quod propter verbi diuini pręeuntem lucem, expeditius, & propter veritatē illius, cuius sermo veritas est, tutius esse deprehenditur. Iam igitur, quod Deus benè vertat, rem ipsam aggrediamur, & vt ex Antithesi & collatione sententiarū clarius elucescat veritas, primū ipsa Iesuitarū verba ponemus: deinde nostrā responsionē, refutationis loco subiiciemus, vt pius Lector videat, à nobis candidē omnia & ex fide agi. Sic igitur Dilingensis libelli habet Præfatio.

Iesuitæ: